



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mechlinia Illustrata Luce Miraculorum S. Francisci Xaverii
Orbis Utriusque Solis Ac Thaumaturgi Chronicis Distichis
evulgata Anno M.D.C.LXVI.**

Grumsel, Gérard

Mechliniae, 1666

Tertia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11918

Quas quidem subitas & mirabiles sanationes diligent per nos facta
examine in talibus adhiberi solito, tenore praesentium declaramus su-
pernaturales, & miraculis adscribimus, & ut tales volumus pu-
blicari, ut Christi Fideles excitentur ad devotas preces fundendas
Divinæ Bonitati, quæ per intercessionem magni illius Indiarum
Apostoli Sancti FRANCISCI XAVERII talia signa & dona
desuper etargiri dignata est: ut quod in tribus hinc personis acci-
disse & miramur & veneramur, etiam in omnibus necessitatibus
nostris eundem apud Majestatem Divinam habeamus patronum. In
quorum fidem praesentes signatur & sigillo nostris munitas dedi-
mus

Mechliniæ die quartâ Mensis Novembris
Anno Domini. M. DC. LX.

Locus + Sigilli.

Andreas Archiepiscopus Mechliniensis

T E R T I A.

ANDREAS Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepis-
copus Mechliniensis &c. Omnibus has visuris salu-
tem in Domino.

Quemadmodum inter varias urbes, quæ sacras Sancti FRAN-
CISCI XAVERII colunt Reliquias; in primis in Belgio
eminet Mechlinia Diocesos nostræ sedes, ubi primum illæ No-
bis approbantibus publicæ venerationi in templo Societatis JESU
fuere expositæ: ita ad plura & illustrioria conferenda beneficia, per
miraculosum & beneficium brachium Servi sui, ibidem indies Divina
Manus sese extendit. Nam præter ea, quæ à nobis & aliis Ecclesia
Præsulibus mature examinata atque ritè antehac approbata sunt
beneficia ac miracula; intellectimus non ita pridem, gloriosum illum
Indiarum Apostolum fecisse iterum prodigiosam sane potentiam in
brachio

brachio suo. Quod ut certius nobis *de* omnibus constet, hisce notum facimus, accuratè inquire jussisse nos in subitam, hodieque perseverantem sanationem à novennali Herniâ, quam prædicti Sancti beneficio civis quidam Mechliniensis impetravit, uti ex consequente autenticâ narratione ad nos transmissâ fit manifestum.

Guilielmus Ploegaerts ætatis annum agens quintum supra septuagesimum, novem omnino annos gravissimis Herniæ intestinalis cruciatibus afflatus fuit, extuberante sæpius malo ad magnitudinem infantilis capitidis. Hujus rei oculata testis est *Margareta de Hooc Guilielmi* conjux: & præterea *Ludovicus van Bael*, qui non semel juratus deposuit, se prædictum Guilielnum præ dolore in mœnibus prostratum, & procedere non valentem, manu suâ admotâ, ita affectum, paucis, antequam sanatus est, diebus deprehendisse. Quem etiam à quatuor, aut quinque retro annis, quibus cum eo laboravit, non raro animadvertisit ex eo malo ab opere desistere debuisse.

Fecerat enim virum morbi vis jam ab initio laboribus planè imparem accrescentibus in dies doloribus. Adeo vehementer, potissimum eâ nocte, quæ undecimam mensis Decembris diem Anno 1662. subsecuta est, cruciatus fuit, ut sibi supremam horam propius instare persuaderet: protestatus beneficij loco habiturum se, si violentâ licet morte, miserabilem clauderet vitam. Inter vicinos lamentantis ejulatibus somno excitatos, filia quædam, sub horam à media nocte primam, in levamen ægri, & ipso quidem inscio, votum fecit *S. FRANCISCO XAVERIO* Mechliniæ ad miraculosa ejus Lipsana persolvendum. Facto voto cessat audiri omnis omnino ægri lamentatio. Primo mane adit *Guilielmi* domum vicina, percunctatur qui valeat: responderet *Magdalena Guilielmi* filia, jam inde ab hora noctis prima hucusque levi somno obdormiscere. Tum verò vicina: at, inquit, hâc ipsâ noctis horâ in solatium parentis tui magno illi Indiarum Apostolo *FRANCISCO XAVERIO* votum emisi, quod protinus persolvam. Iam inde à concepto illo persolutoque voto, ad hodiernam usque diem perstat *Guilielmo* perfecta curatio: nec ullum prorsus interea temporis, quod duos jam annos complectitur, ex antiquo malo dolorem

rem sensit: incessit, peregrè profectus est, laboravit eâ facilitate ac si nunquam ullis Herniæ cruciatibus affectus fuisset. Quin imò vir id ætatis, primâ Maii Anni 1663. à recuperata valetudine mense sexto, Mechliniâ Antverpiam sarcinâ onustus, uno eodemque die, pedes pervenit, alacerque reversus est. Deinde inter ardentissimos solis æstivi calores rursus Mechliniâ Bruxellam unius diei spatio ivit redivitque sanus & incolumnis. Testatur præterea Guilielmus duobus ab obtenta sanitate annis sese consuetis artis suæ, quam profitetur, laboribus sane difficultibus, (olior enim est) citra ullum doloris sensum strenuè persunctum esse, todisse, semina terræ mandasse, humido frigidoque solo, hor̄ti sui excolendi gratiâ ad multas horas incubuisse, & cœtera ejusmodi laboriosa opera fecisse, quæ Herniæ malo maximè adversari experientia edocet. Item plantasse, loco suo dimovisse, ascendisse arbores, & quidem nuperâ estate ex una earum justæ magnitudinis casu in terram corruiisse, nullo proorsus antiqui mali apparente indicio. Quamvis antea, totis novem, quibus eo afflatus fuerat, annis, tum potissimum, cum aut cœlum humidius, ac frigidius esset, aut artis suæ laboribus non nihil intendisset, ingenti doloris sensu, continuò è corpore erumperet, ingravesceretque.

Posteaquam ad aures nostras à pluribus viris fide dignis hæc omnia pervenissent; de iis per Reverendos admodum Dominos Antonium Vermeulen S. Theologicæ Licentiatum & Ecclesiæ nostra Metropolitanæ Canonicum graduatum; & Joannem Baptistam Bernartium ejusdem Ecclesiæ Plebanum ac Canonicum, Commissarios ad hoc deputatos ex nostro mandato, captæ sunt de singulis informationes, in forma legitima: quibus prædictus Guilielmus ejusque uxor, ac filia & Ludovicus van Dael jurati subscripsere; quaque iidem R. R. DD: Commissarii suâ manu firmarunt, & ad nos transmiserunt. Acceserunt præterea multiplicita nominatissimorum Medicorum testimonia, Mechliniensium, Antverpiensium, Bruxellenium, & duorum priorum Medicinæ Professorum ac Doctorum in celeberrima Academia Lovaniensi: qui pari omnes consensu attestantur, ejusdem subitam ac constantem à novennali Hernia liberationem in viro 75. annorum, supra naturæ vires esse. Quibus auditis, & coram Deo mature expensis

pensis, nec non super eo etiam Theologorum & aliorum doctorum
virorum habito consilio juxta modum in approbatione novorum Miraculorum a Concilio Tridentino praescriptum: conformantes nos R.R.
DD. Commissariorum sententiæ; qui maturè & accuratè omnia ex-
aminarunt, & appenderunt: decernendum duximus, prout per pre-
sentes decernimus, posse & debere dictam Guilielmi sanationem mi-
raculosam, & per merita S.FRANCISCI XAVERII a Deo factam
& impetratam censeri, & publicari, & ut tales publicamus, ac
decernimus. In quorum fidem base manu & sigillo nostris mun-
tas per Secretarium nostrum expediri jussimus, Deum qui glorifican-
tes se glorificat, & in Sanctorum suorum honoribus honoratur, bu-
milititer deprecantes, ut sicut Beati F RANCISCI XAVERII
gloriosa merita ac beneficia experti & venerabundi agnoscimus; ita
ejus pia patrocinia deinceps saepius sentiamus.

Datum Bruxellis, die
23. Mensis Novemb.
Anno Domini 1664.

Locus + sigilli.

Andreas Archiepis. Mechliniensis